



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Conuerso de Lucka, qui vidit Christum cum quindecim religiosis in aëre
crucifixum, cap. 18.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

Dvo Conuersi in Hemmenrode, in quadam gran-
 dia eiusdem domus, quodam tempore manebat: *Ex Chro-
 stophaf-
 sione,
 multis
 manant
 consolati-
 onibus.*
 stabant autem simul vice quadam, & hora completo-
 rij Deo suæ seruitutis pensum persoluebant: dicto cō-
 pletorio, respiciens vnus ad cœlū vidit in sublimi cru-
 cem splendidam, & in ea Dominum crucifixum. Erat
 autem crux illa adeò splendida, vt ab ipso splendore
 sese inuicem contuerentur clarissimè; nam alias tene-
 bræ erant super faciem terræ, erat enim hyemis tem-
 pus. Et quia loqui non licebat, signū fecit alteri, quasi
 interrogans, si aliquid videret? at ille nihil se videre si-
 gnauit; Tunc ipse signum illi fecit, vt genua flecteret
 & oraret: quod cū fecissent ambo simul, erectus post
 pusillum, tantæ visionis factus est socius & testis. Am-
 bo adhuc, vt puto, viuunt, nec licet prodere nomina
 illorum. **A P O L L O N I V S:** Quæ tibi videtur causa
 fuisse tantæ visionis Conuersorum eorundem, meri-
 tum an culpa? **C Æ S A R I V S:** Si propter eos visio ea-
 dem facta est, alterum videtur causa fuisse, bona vide-
 licet vita; vel culpa aliqua, siue vtrumque. Hoc vtrum
 esse vel posse esse verum visio subsequens declarabit.

CAPVT XVIII.

IN Lucka domo ordinis nostri, cuius in superiori
 distinctione memini ca. 24. Conuersus quidam est,
 sicut ab Adam eiusdem domus monacho didici, vir
 bonus & disciplinatus, Rodolphus nomine, cui diui-
 nitus multa reuelatur. Hic cū nocte quadam, dictis
 matutinis, ante lucē sub diuo staret, & orationes ali-
 quas diceret, Christum in aere cruce affixum penderē
 vidit, & circa eū xv. homines, singulos in singulis cru-
 cibus: ex quibus decē erant monachi, & quinque Cō-
 uersi, omnes ei bene noti, vtpote congregationis suæ
 professi: ita aer fuerat illuminatus ex Christi præsen-
 tia, vt singulos plenè discerneret. Cumq; stupefactus
 staret, ob tam mirabilem visionem, Dominus de cruce
 clamauit; Nosti Rudolphe, qui sint hi, quos circa
 me vides crucifixos? Respondente Conuerso: Noui
 Domine qui sint; sed quid sit quod video, prorsus non
 intelligo;

intelligo: subiunxit Dominus: Hi soli ex omni congregatione mecum crucifixi sunt, meae passioni vitam suam conformantes. **APOLLONIVS**: In quo se illi conformauerunt? **CÆSARIVS**: Vtique in obedientia, in patientia, in humilitate, in abrenuntiatione totius proprietatis propriæque voluntatis: hæc, & his similia, monachos martyres faciunt, in quorum persona per psalmistam dicitur: Quoniam propter te mortificamur tota die, estimati sumus sicut oues occisionis. Ecce crux, de qua in Euangelio dicit ipse crucifixus: **Matt. 10** Qui non tollit crucem suam quotidie, & sequitur **Luce 9.** me, non est me dignus. Non dicit semel, sicut Petrus: sed quotidie, sicut Antonius. Sicut didici nuper a prædicto monacho, omnes illi quindecim adhuc viuunt, excepto vno, qui iam dormiuit in Domino. **APOLLONIVS**: Nemo claustralium visionem hanc ignorare deberet. **CÆSARIVS**: Verum dicis, quia multi putant se esse monachos, & non sunt, ore & non vita, dicentes cum Apostolo: **Gala. 46.** Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. **APOLLONIVS**: Dic quaeso quomodo sit nobis intelligendum, quod idem Apostolus dicit: **Gala. 5.** Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs? **CÆS.** Secundum præcedentia videtur sic intelligendum.

CAPVT XIX.

Apostolus enumeratis operibus carnis, cum exposuisset fructus spiritus, subiunxit: Qui autem sunt Christi, &c. Duplex est religiosorum crucifixio, hominis interioris per alienam compassionem; & hominis exterioris per propriam carnis mortificationem. Crux dicitur à cruciatu: crux monachorum rigor ordinis est, tum propter vigilias & orationes, tum propter ieiunia & castigationes, tum propter silentium & opera manuum, tum propter carnis continentiam & vestimentorum stratiq; duritiam. Qui autem sunt Christi? qui cum Apostolo dicere possunt, Christo confixi sumus cruci: Carnem suam crucifixerunt, id est cruci affixerunt, cum vitijs operum & concupiscentijs.

Gala. 2.